Quelle: https://manuscripta.at/?ID=40644
Copyright: Melk, Benediktinerstift



13.

humana contempsisse. et inter ipsarum humanarum rerum impedimenta semper diuinis inhesisse constat. Rarum profecto et memorabile sanctitatis exemplum: qui dum in cœtu viuerit humanarum minime curarum expers: inter diuina adeo sit versatus. q̃ non nisi arbitrandum sit ipsum celestem gloriam consecutum. Et cum hic maxime status: ea vite conditio distrahere soleat. in eo potissimum sanctitas quesita et inuenta sit. Nam etsi plurima sit dignum laude. tm̃ perdifficile maiores nostri iudicarunt in magna uidelicet potendi licencia iuste vixisse. Accedit et ei vxorie et liberorum cura. quod quidem (vt cum apostolo dicam) a celestium cogitatione maxime diuidit. Aggredior igitur hys munitus presidijs redemptoris implorato numine sine quo nihil incipere phas: vitam beati leopoldi ab omnibus plane imitandam. ac eius probatissimos mores: frequentissimam denique miraculorum multitudinem explicaturus. Vt in actis constat super ea re de cuius agitur canonisatione productis coram reuerendissimis in xpo patribus rodorico portuensi episcopo sancte romane ecclesie vicecancellario. marco episcopo penestrino. francisco sancti eustachij diacono cardinali. ad talia oleunda deputatis. In quorum enarratione compensata rerum magnitudine. cum tempore quo illa recensebo paucis me peccauisse vos iudicaturos non dubito. Illud imprimis rerum natura vel lata lege fixit: vt a robore robur generetur: ab aquila similis auis. et a forte ac constanti idem nascatur: et contra nil existimamus posse fieri. Leopoldus cognomento pius. patre leopoldo marchione austrie natus est. familia vtriusque parentis illustri. et tota diuum cultus. et in qua duo precipue claruere. religio et populorum regimen. Cui omnia pietatis munera adiunxit et in eo tenore perseuerauit: vt animi moderatione et misericordia reliquos anteiret. maioresque suos orthodoxos tanto antecelluit. quanto pij cognomen. quo leopoldus meruit insignitus ceteris postat. Leopoldus enim pius vbique inscribitur hoeque ei cognomen viuenti inditum est. quod post trecentos et quinquaginta fere annos. quibus in domino quieuit. adhuc inconcussum inextinctumque manet. et eternum seruat per secula nomen. Nec ab infancia non se delicijs aut voluptatibus quibus etas illa permaxime irretiri solet. neque hys que omnes faciunt pueri se accomodauit. aut aliqua expparte corrupit inter regios luxus opesque innumeras. ab omnibus enim huiusmodi se abdicauit. et quod iam dei nutu